

stolam, immo & Thaddæi ipsius prædicationem, cuiusque per me liceat ad fabulas amandare. Istud minime moror. Quod nostra interest, Eusebii ævo eam viguisse intelligimus opinionem, videlicet Sanctos Patres, quos Christus in sua Resurrectione suscitavit e mortuis, Matth. testante in Evangelio, in Cælum ascendente postea ipso, illos quoque una cum eo in Cœlestem Aulam fuisse translatos. Et hæc sane opinio antiquissima; ipsam quippe tradidit S. Herma Pauli Apostoli discipulus Lib. III. Cap. 16. Pastoris: ipsam adoptarunt Clemens Alexandrinus Lib. VI. Stromat. & Origenes Homil. xv. in Exodum, & alii ex antiquis, quos in præsentia recensere nihil attinet. At quicumque descenderunt in ejusmodi sententiam, si non certam, saltem veri valde simillimam & fortassis ab Apostolo indicatam, quum de Christo ait Eph. iv. 8. *Ascendens in altum Captivam Duxit Captivitatem*: ii procul dubio agnoverunt, Cæli portas non adeo Justis præclusas fuisse, ut præter Redemptorem nostrum hætenus neminem e mortalibus receperint, neque recepturæ sint, nisi post Resurrectionem futuram omnium, immo post aureum Millenarium Regnum: uti veterum somniorum restaurator Barnetus contendit. Quod si jam in beatissimam regionem viventium simul cum Christo, Patriarchis, & Prophetis ingredi licuit, qui tamen adstant & ipsi in postremo Christi Domini Judicio: vides jam nihil officere inconcusso dogmati de eodem universali Judicio illorum sententiam, qui ceterorum Justorum Animabus, simul ac e Sæculo migraverint, aut purgatæ fuerint, Cæli ostia patere pro certo habent.

Accedit, quod idem Eusebius lib. v. cap. 1. & sequenti, refert celebratissimam Epistolam Ecclesiarum Viennensis & Lugdunensis de Martyrio S. Pothini Episcopi, & aliorum, qui Anno Christi cxxxvii. forti animo jugulum obtulere carnifici pro Christi nomine. In ea Epistola legimus, quanta constantia beati illi pugiles certarint pro Christo, levia reputantes tormenta quælibet, quia *ad Christum ire properabant*. Ibi Advocatus Christianorum & ipse Martyrium consummavit, germanus revera Christi discipulus, sequens Agnum, quocumque ierit. Infra quoque ajunt: *Æquum sane erat, ut fortissimi Athletæ, qui multiplex certamen subierant, atque insignem victoriam retulerant, insignem Immortalitatis Coronam acciperent*. Quid sit Corona Immortalitatis, supra cap. vii. animadvertimus. Generosa quoque Martyr Balbina, postquam Filios ad fortiter certandum accenderat, *U victores AD REGNUM PRÆMISERAT*, eosdem certaminum cursus, quos Filii consecerant, remetiens, ad eosdem ire properabat, de exitu suo læta atque exultans prorsus quasi ad Nuptiale Convivium invitata, non bestiiis obiecta esset. Equidem quum veneranda hæc antiquitatis Christianæ monumenta lego, & fortitudinem & alacritatem Sanctorum in tam horribilibus tormentis contempler, lacrymas continere non possum; simulque irascor Burneto nobis nunc venditanti, *Coronam, & Præmium* vel ipsis Sanctis Mar-